vel potius modico tempore secedit, dicamque somnum hunc per me-
dicam excitatum manum, numquid tanquam vim suam conceptu-
ra potio, lotatus medicus, bono animo sint adstantes iubet, interim
dormit aeger, sistunt, silent, quiescunt amici, nec se nec aliud
quidpiam movent, cum nescio quis molossus ante fores quasi somno alto
experrectus, horrendisque somnijs illusus frendit dentibus, latratu horren-
do domum pervagatus omnia subitaneo replet confundit, turbatque tu-
multu à furijs velut inferni immissus, concurrunt mox omnes, et tu
vaque manu verbera, fustes, lapidumque imbres in rabidum fulminan-
tes oblatrantis furias compescere laborant, sed nescij igni facem immittunt
furioso sicam, aestuanti mari impetuosum ventum; interim aeger de somno
excitari, iterare questus, medicus adstantesque de salute prope despera-
re, quod vim suam, ut debuit, potio in dormiente diffundere non potu-
erit; sed nunc aegrum, cum aegro medicum, cum medico totam domum col-
luctari sinamus, intellexeritis inde satis opinor quantum aegro somnus
conferat, quantumque negatus obsit, et noceat, idem quod infantibus,
quod senibus conferat, noceatque, tantundem intelligatis velim, imo
de quocunque vivente, Menandri namque dictum illud est procla-
rissimum: Somnus est valetudo vitae, corporis salus, quod verissimum
in omnibus cernitis, verissimum de omnibus auditis, verissimum in vobisipsis
experimini, sed tamen magis extulit somnum Seneca; Parte meliore
vitae humanae enim dixit, sed quid de somno divinus ille Poëta-
rum Rex, Choraula Homerus? excellentissimo longe praedicavit prae-
conio, cum supra homines Deosque illum extulit; Regem enim hominum
Deorumque illum appellare non erubuit, maius ergo quid quam ipsos
Deos somnum habuit, itaque ut Canis vobis valetudine vitae, cor-
poris salute, parte meliore vitae humanae eripiat, vel corru-